



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De uxorato, parag. 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

pus illum ordinans conscius est seruitutis, & videt sine Domini consensu, ipsum Ordines postulare, quod est, Episcopum esse participem doli, servus ita promotus evadit liber, sed ipse Episcopus obligabitur pretium servi duplicatum, vel duos servos reddere Domino. Et quidem unum ex his pretiis erit de iustitia solvendum in recompensationem servi, unde ante omnem sententiam, Alterum, cum sit in poenam, post sententiam, & sic conciliatur Suar. *a* non requirens sententiam cum Bonac. *b* illam requirente. Si non Episcopus, sed alii consensu prædicti doli Episcopum induxerunt ad Ordines suo concedendos, ipsi ejusmodi pretium, vel servum duplicatum solvere tenebuntur. Si denique nullus fuit doli conscius, is remanebit servus, sed suspensus ab Ordine, si nondum est Sacerdos; Nec tamen poterit uxorem ducere, si Subdiaconatum, vel Diaconatum sic assumpsit; idque propter Votum Castitatis his Sacris Ordinibus adnexum; Valde tamen probabile est, hunc non privari privilegio Canonis, ut tenet Sayrus. *c*

*a* Suar. de  
Cens. d. 51.  
sec. 3.  
*b* Bonac. d.  
7. de Cens.  
q. 2. p. 4. n.  
3. V. Tertio  
Episcopus.

*c* Sayr. de  
Cens. l. 6. c.  
14. n. 5.

3. At, si ejusmodi servus ordinatus fuit Sacerdotio, liber quidem erit, sed remanebit cum onere solvendi Domino, vel alium servum, vel pretium ex suo peculio, vel ex suis ministeriis Sacerdote non indignis. Filliuc, loco citato ait, hunc servum, tunc, anittere suum peculium, eundemque ab hero suscipi posse pro Mysteriorum celebratione.

Sed quid, si prædictus servus nullo modo peculium, vel artem, vel alium servum habeat, unde solvat?

*d* Gibalin.  
de Irreg. c.  
3 q. 5. n. 3.

Respondet Gibalin. *d* Manebit liber, sed aliquo spiritali obsequio se gratum præbere studeat Domino.

4. Nondum omnia dissoluta sunt; Inquires enim Primò, si plures insolidum sint Domini alicujus servi, factisne est, ut is promoveatur ad Ordines ex solo consensu unius ex his Dominis?

*e* Glossa in  
e. Nullius  
d. 54.

Respondeo. Ita putat. Glossa, *e* idque ob favorem, & reverentiam Ordinibus debitam, colligitque ex illis verbis Textus Nullus promoveat servum, nisi voluntas accesserit ejus, qui aliquid sibi in eo vendicat potestatis illud enim (aliquid potestatis) significare videtur quamcunque diminutam potestatem ejus, cui illa particulariter com-

petit. Alia autem Glossa, *a* paulò post, dicit, debere accedere consensum omnium, quorum juri detrahitur; id enim significare videtur (ait hæc Glossa) illud (qui aliquid potestatis) illud enim (qui) sumi debet collectivè, ita ut sensus sit, ut debeat consentire quicumque aliquid potestatis in servum habet.

*a* ibidem

5. Sic tamen conciliandæ sunt hæc duæ Glossæ. Si partialis Dominus offerat servum pro Ordinibus, erit ab Episcopo admittendus, ut liber, nam ita is Dominus tacitè se obligat satisfacere (ut certe debet) aliis condominis; & hac ratione Ordinibus favetur, & Dominis nihil detrahitur. At, si partialis Dominus solus mere consentit, non poterit servus admitti, quia fieret contra jura condominorum; consensus enim dicti partialis Domini non ex se offerentis servum (sed ex aliorum v. g. rogatu) solum parti suæ videtur præjudicare, non parti aliorum. Glossa igitur prior de priore casu intelligi debet, posterior de posteriore.

6. Inquires Secundò. Quid de libertis, qui sunt ii, quos Dominus manumittit, hoc est liberos facit, sed reservato temporali aliquo obsequio?

Respondeo, hos propter dictam reservationem esse Irregulares, docetur communiter. At, si Dominus, qui tunc propriè appellatur Patronus, obsequia omnia remittat, vel solum spiritalia, quæ Clericum non dedecent, reservat & possit ad Ordines admitti, quia tunc censetur jam absolute liber.

*b* C. Nullus  
de servis  
ordinandis.

7. Denique nota, horum filios nulla Irregularitate affici; ingenui enim, hoc est, liberi omnino sunt, solumque debent Patrono reverentiam, ut notat Bartol. *e* Quid dicendum sit de libertis Ecclesiæ, Vide Vgol. *d*

*c* Bart. l.  
de libert.  
ram liber.  
*d* Vgol. de  
Irreg. c. 17.  
§ 4.

## §. II.

## De Uxorato Remissivè.

I. Etiam Uxorato dicitur deficere libertas ad Ordines suscipiendos; Uxoratus enim sua servitate circa Uxorem non caret: Verum nos de hac re tota diximus satis, superque in libro de Matrimonio.

*e* Sopran.  
de matr.  
tr. 1. cap. 1.

## §. III.